Universitätsbibliothek Paderborn

# Iacobi Bidermani E Societate Iesv Vbaldinus Sive De Vita & Indole Antonii Mariæ Vbaldini Vrbinatis, Monteæ Comitis, Breviarivm

Bidermann, Jakob

Fribvrgi Brisgoiae, 1663

Ad Seminarium aduentus. 12

urn:nbn:de:hbz:466:1-44891

Visual Library

um adiret, oſculoque ſacris pedibus affixo, ad auſpicanda litterarum ſtudia, (nam eò venerat) cum bonis omnibus ſe conferret. Delectatus indole Pontifex, gratum dixit ſe habiturum, ſi pro eo, quam res poſceret, virtutes adoleſcens litteraſque amplecteretur. Ita compellatum Pontifex, inter preces lætáque omnia dimiſit.

### *XII. Ad Seminariũ aduentus.*

ROmæ, vt in Vrbe vrbium ampliſſima ſanctiſſimáque, varia ſunt æquè adoleſcentum, ac ſtudiorum inſtituta Seminaria; quæ ſuis quæque legibus, moderatoribúſque, alia alijs reguntur; magno omnia rei publicæ bono. In his non incelebre habetur illud, quod, quia ingenua

nua pube Romanæ exteræque nobilitatis eſt frequens; Floretq; ingenijs, ac diſciplinis, agnomine ſingulari, Romanum vocatur. Eius procuratio Societati IESV, permiſſa. Numerus omnis (& ſunt adoleſcentes, ſæpe ad ſeſquicentum) in decem contubernia familiaſve tributus; ſic, vt æquales vbique ſocientur; Familiæ ſuus cuique præfectus; & pleraque alia, loco vſúque diſcriminata. Erudiuntur in Societatis Athenæo publicè omnes. Alij alijs litteris, vt cuiuſque aut ætas eſt, aut captus. Domi priuatím, vt inter ſe claſſibus iuncti ſunt, ad ſua quique ſtudia, cum cura exercentur; aſſignatis ei operi ſynergis, alteris quaſi & domeſticis magiſtris. Tum ne minor animi, quàm ceterorum ſit cura;

quatuor ibi vigent Partheniæ ſodalitatis gymnaſia: quorum plurimus hic labor: bellum cum vitijs gerere, & dictis factiſque, veluti claſſico, ad virtutem vocare. His iterum ſuæ, cuique leges & iura, ſui ſeorſim clientes, & paleſtræ; magno ad honeſtatem tuendam adiumento. Qui vniuerſæ tot capitum familiæ moderatur, Rectorem vocant. Igitur Vbaldini, quem diximus, parens, vt hunc ſibi locum ad filij ſtudia delegit, Rectorem adit; eiuſque fidei Antoniũ Mariam Vbaldinum permittit: pollicitus, facilem, ac niſi ſe fallat, omnia morigerum fore. Monſtrato dein, quid illo fieri præterea velit, ab Vrbe diſcedit.

*XIII. In Seminariũ ingreſſus.*

AT Antonius, adhuc domi

ſuæ